



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Disputatio XXXVIII. De Relaxatione Interdicti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

quia sufficit vt vno nomine collectiuo, vel quasi collectiuo totus locus comprehendatur, vt singula Ecclesie, vel partes interdictae maneat, vt per se notum est; & ex vsu satis constat. An vero ante dicta Extrauag. requireretur hæc denunciatio; idem dicendum censetur, quod de interdicto generali, scilicet, absolute non fuisse necessariam: publicam vero notitiam delicti seu facti proportionatam interdicto semper fuisse requisitam propter eandem rationem, quæ hic applicari potest, cum aliis: per quas in tertio tomo ostendimus Ecclesiam non polli per delictum, vel factum occultum: est enim hie eadem proportionalis ratio.

DISPUTATIO XXXVIII.

De Relaxatione interdicti.

MNIA, quæ ad hanc disputationem pertinent, ad duo capita reuocari possunt. Primum est quædo, & quomodo necessaria sit hæc relaxatio, vt interdictum auferatur. Secundum est, quando illa est necessaria, quomodo, & à quo fieri debet.

SECTIO I.

Verum necessaria semper sit relaxatio, vel absolutio interdicti, vt illud cesset.

Nonnullum interdictum feritur, vt per se notum est. Vponimus in hac quæstione, interdictum non esse perpetuum, sed auferri posse seu cessare: inquirimus autem modum. Illud autem suppositum certissimum est, constatq; satis ex vsu Ecclesie. Et ratio reddi potest, quia cum hæc censura sit spiritalis poena priuans nonnullis bonis pertinentibus ad spirituale commodum animarum, non expedit esse perpetuam, alioqui magis esset in destructionem, quam in utilitatem. Item, quia vt interdictum feritur per modum censuræ, vt recedatur à contumacia, & tunc ex generali ratione censuræ constat non posse esse perpetuam; vel feritur solum vt poena pro delicto commissio, & tunc vel feritur pro definito tempore, & sic constat non esse perpetuum, neque ultra illud tempus extendi: vel feritur indefinitè, & sine temporis limitatione: & hoc modo nunquam vt existimo, inuenietur in iure latum, nisi adiecta aliqua conditio, scilicet donec restituat, vel satisfaciatur, vel alia simili: per quam satis ostenditur, interdictum non ferri, vt perpetuo duret, sed vt tollatur impleta illa conditio: imò hoc ipso quod talis conditio ponitur, est signum, tale interdictum non tam esse positum in pœnam, quàm vt à contumacia recedatur. Quod si talis conditio expresse non apponeretur; vel in interdicto lato à iure, vel ab homine, virtute seu implicite esset subintelligenda, si causa interdicti est capax illius, id est, si habet, vt aiunt, tractum successuum, seu (quod idem est) si semper pendet in futurum; vt contingit, quando interdictum feritur; vt aliquid restitatur, vel vt cesset vis illata Ecclesie, vel aliquid simile; si vero causa interdicti sit actio iam omnino præterita, saltim habebit subintellectam hanc conditionem, donec auferatur ab habente potestatem: quia nunquam feritur, nec ferri potest ea intentione, vt perpetuo duret.

Atque ex his intelligere licet, quid certum sit, quid ve dubium in quæstione proposita. Nam primo certum est, si contingat interdictum ferri pro delicto pure præterito absque vlla adiecta conditione, quæ pendeat ex voluntate eius, qui interdictum, &

Fr. Suarez tom. 5.

absque temporis limitatione: tunc tale interdictum auferri non posse, nisi per relaxationem superioris habentis potestatem. Probatur, quia tale interdictum est pura poena, & non est limitata ad certum tempus: ergo de se est indefinita, seu perpetua negatiue, id est de se non habens certum tempus: ergo non est vnde possit finire, aut tolli, nisi ex voluntate Superioris. Vnde non inuoluit aliam conditionem nisi illam, donec auferatur, vel vsque ad beneplacitum ferentis; sicut de suspensione in simili forma lata dicebamus. Hic autem modus interdicti ita simpliciter lati ob præteritum actum, nec à iure, neq; ab homine solet ferri, quantum mihi ex vsu, & ex experientia constat. Vnde propter hunc solum interdicti modum parum necessaria erit interdicti absolutio, seu relaxatio.

Secundo certum est, quando interdictum feritur vt pura poena pro peccato præterito, & pro tempore definito, vt feritur interdictum ab ingressu Ecclesie per mensem: tunc non est necessaria interdicti absolutio elapso illo tempore, sed ipso facto cessabit, sicut in simili diximus de suspensione. Est enim eadem ratio, arque ita idem in vtroque casu docent Doctores ibi citati, & Syluester verbo *Interdictum*, §. q. 9. & alij statim referendi. Et probatur, quia lex, aut sententia non plus operatur, quam verba eius significant: ergo verba limitantur ad certum tempus; pro illo interdicunt, & non pro vltiori tempore: ergo illo elapso, pro futuro tempore non erit necessaria absolutio. Quia vbi non est interdictum neque, absolutio necessaria est: pro illo autem vltiori tempore non fuit interdictum latum: ergo neque absolutio pro illo necessaria erit. Vnde aperte constat, aliter sentiendum esse, si agatur de ablatione talis interdicti ante elapsum illud tempus, pro quo latum est: sic enim auferri non potest absq; relaxatione habentis potestatem; ob contrariam rationem: quia pro toto illo tempore lex, seu sententia operatur, cum verba eius id præ se ferant, & efficacia sint: ergo vt impediatur, seu tollatur talis effectus, necessaria est contraria voluntas habentis potestatem quæ tale interdictum relaxet.

Difficultas vero superest, quando interdictum feritur, vt recedatur à contumacia, vel sub hac conditione tacita, vel expressa, donec satisfaciatur, vel restituat, &c. an tunc necessaria sit absolutio, vel relaxatio interdicti. Multi enim censent non esse necessariam: nam si conditio non est impleta, interdictum non est tollendum, imò nec relaxari potest, cum duret contumacia, nisi forte per absolutam voluntatem eius, qui possit reuocare sententiam, aut in lege dispensare: si autem conditio est impleta, ipso facto cessat interdictum: quia ille terminus positus est in ipsa lege: ergo ultra illum non operatur, sicut dictum est, quando lex certam temporis durationem præscribit. Nam perinde esse videtur limitare durationem censuræ per expressum terminum temporis, vel per quàmuisq; aliam æquiualentem conditionem. Atque ita sentiunt Glossæ fere in omnibus iuribus citatis disputatione præcedenti, sect. i. nam vbi cuncte iura ferunt interdictum cum illa, vel simili determinatione, donec satisfeceris, ait Glossa, impleta conditione interdictum esse sublatum absque alia relaxatione: & idem sentiunt ibi communiter interpretes, & specialiter Abbas in cap. Non est vobis de Sponsalibus, & in cap. vltimo de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie, & tenet Syluest. *Interdictum*, §. q. 9. Couarr. in cap. Alma, part. 1. §. ii. n. 8. cum aliis supra relatis in simili quæstione de suspensione.

Hæc vero sententia quantumcunque probabilis sit propter Doctorum auctoritatem, nobis probari non potest. Nam in vniuersum censemus, nullam propriam censuram auferri, nisi per absolutio- nem, seu relaxationem eius, qui iurisdictionem ha-

Ddd 3

nisi per relaxationem vel absolutio- nem. Prima conclusio.

Interdictum latum pro tempore definito, cessat eo tempore elapso. Secunda conclusio. Syluest.

Antea vero non nisi per relaxationem.

An interdictum sub conditione latum, ipso impleta per se auferatur. Prima sententia.

Gloss.

Abb.

Syluest.

Vera sententia.

bet.

Abbas.
Innocen.
Ca Presby
ter, 2. q. 5.

ber; quod etiam de suspensione diximus cum Ab-
bate, & Innocentio in capit. *Cum bona*, de Aetate, &
qualitat. Idem ergo nunc opinamur de censura in-
terdicti; soletque ad hoc citari cap. *Presbyter*, 22. que-
stione 5. qui textus de suspensione loquitur, & in v-
tramque partem ab authoribus adducitur, parum-
que probat, quia non agit de censura ob contuma-
ciam, sed de prohibitione à Superiori facta ob infa-
miam.

Cap. Cum
desideres, de
Sen excom.
Cap. A no-
bis, 2. cod.
Cap. Quod
in dubiis,
eodem.

Joan. Andr.
Panorm.

Præterea probari potest à paritate rationis in ex-
communicatione: hæc enim maxime fertur ob con-
tumaciam, donec ab illa recedatur, siue hæc con-
ditio expresse declaratur, siue nō; parum enim hoc
refert, cum in intrinseca ratione talis censuræ inclu-
datur: & nihilominus impleta illa conditione, re-
quiritur absolutio excommunicationis, vt constat
ex cap. *Cum desideres*, & in cap. *A nobis*, 2. & in capit.
Quod in dubiis, de Sententia excommun. ergo idem
dicendum est de censura interdicti. Probatur con-
sequenter, tum quia videtur esse eadem ratio, & in
his, in quibus non eundem manifestum discrimen,
solent hæc censuræ in iure æquiparari, cap. *Is cui*, cum
similiter de Sententia excommunicat. in 6. tum et-
iam quia in dictis iuribus hoc non dicitur de exco-
municatione propter aliquam specialem rationem
eius: sed potius in dict. cap. *Cum desideres*, insinuat
hæc ratio, quia licet ei, quem laici, satisfecisse taliter vi-
deatur, Ecclesia tamen, quam offendit, ex hoc non satisfe-
cisse dignoscitur: quæ ratio cum proportionem applica-
ri potest ad censuram interdicti. Propter quod lo-
nes Andreas, quem Panormitanus refert in dicto
cap. *Cum bona*, num. 5. dixit, necessariam esse satis-
factionem iudicalem, id est (vt ego intelligo) à lu-
dice receptam, & approbatam iudicialiter; quæ ap-
probatio continet relaxationem interdicti, saltem
tacitam, & implicitam: nam ad hoc fieri debet, vt
Iudex, talem satisfactionem recipiendo, vinculum
tollat, alioqui non esset per se necessaria, vt tollere-
tur censura: sed ad summum, vt in aliorum notiti-
a deueniret. Atque eodem modo interpretor, quod
dixit Glossa in Clement. 1. de Decimis, quam multi
Canonistæ sequuntur, quando censura huiusmodi
fertur sub illa conditione, donec satisfecerit, vel alia si-
mili, necessariam esse declarationem Iudicis. Nam
si intelligant, Iudicem non auferre censuram, sed
denunciare ablatam, quia impleta fuit conditio, no-
bis non probatur: alioqui idem dici posset de ex-
communicatione: oportet ergo, vt Ecclesia, vel
minister eius ita declarat satisfactionem esse imple-
tam, vt eam acceptet, & absolutionem conferat: &
hoc est, quod significatur in dicto capitulo, *Cum de-
sideres*, & in dicto capitulo, *A nobis*, generaliter dicitur:
Vinculum, quo peccator ligatus est apud Deum, in
culpe remissione dissolvitur: vinculum autem, quo ligatus
est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur:
quæ ratio etiam in vinculo interdicti locum ha-
bet.

7
Cap. Cum
ab Ecclesia
rum, de offi.
ordin.

Et confirmari potest ex cap. *Cum ab Ecclesiarum*,
de offic. ordin. vbi prius in generali sic dicitur: *Cum
ab Ecclesiarum Prelatis Ecclesiastica sententia in malefa-
ciores aliquos promulgatur, rata debet, & firma consistere,
& vsque ad condignam satisfactionem inuolabiliter ob-
seruari.* Quæ verba, vt ex eorum tenore constat, in-
differentia sunt, & communia sententiæ excommu-
nicationis, & interdicti. Vnde ex illis statim ex-
presse inferitur, sententiam interdicti, & excommu-
nicationis à quodam plebano rationabiliter latam,
inuolabiliter fuisse obseruatam. Ac tandem cōclu-
ditur: Et eam sine congrua satisfactione, & absque iusta
plebani conscientia non relaxes: ergo in hac æquiparat
sententiam excommunicationis, & interdicti: & sen-
sit non sufficere satisfactionem sine relaxatione e-
ius, qui sententiam tulit, vel ex eius consensu. Nec
refert dicere, forte illam sententiam interdicti non
fuisse latam sub eoditione donec satisfecerit, sed sim-

Occurritur
causationi.

PLICITER, tum quia hoc volūtariè dicitur, & sine fun-
damento: tum etiam quia parum refert, quod illa
conditio fuerit expressa, necne: nam satis constat,
sententiam illam fuisse latam, vt recederetur à con-
tumacia, & satisfactio fieret: in quo intrinsece dicta
conditio imbibitur. Idemque probat textus in cap. *Quamquam*, de Censibus, in 6. vbi censuræ, & inter-
dicta feruntur contra exigentes iniusta tributa ab
Ecclesiasticis personis, & in fine subditur: *nei ab ex-
communicatione huiusmodi absolutionem, vel interdicti
relaxationem obtineant, donec exacta plenarie restitue-
rint, & de transgressione satisfecerint competenter:* vbi
sermo est de interdicto lato pro contumacia, sicut
est excommunicatio, & quoad hoc æquiparantur,
vt post impletam restitutionem conditionem, & exhi-
bitam, vel oblatam competentem satisfactionem,
absolutio, vel relaxatio postulat: optime ergo in
his iuribus fundatur ratio sumpta ex æquiparatione
harum censurarum.

Ac præterea ex verbis eorundem iurium dupli-
cem confirmationem eiusdem sententiæ sumo. Pri-
ma est à posteriori, seu ab inconuenienti: quia si in
interdicto lato, vt recedatur à contumacia, non est
necessaria relaxatio, certe moraliter loquendo, nū-
quam est necessaria. Consequens autem est contra
morem loquendi horum, & aliorum iurium, imo &
contra communem vsum Ecclesiæ. Sequela patet,
quia interdictum latum non pro contumacia tolli-
da, sed tantum in pœnam, moraliter nunquam fer-
tur simpliciter, sed pro tempore determinato: &
tunc non requirit absolutionem, sed lapsum tem-
poris, vt diximus, & ante completum tempus raro
conceditur eius absolutio, magisque per modum
dispensationis, seu extraordinariæ gratiæ, quam or-
dinariæ, & vitæ relaxatio: solum ergo superest
interdictum pro contumacia, seu, quod idem est, ad
extorquendam satisfactionem, vel restitutionem,
aut aliquid huiusmodi: ergo si in hoc etiam non re-
quiritur relaxatio, nunquam est moraliter neces-
saria. Altera confirmatio est ex congruentia, quæ ibi
insinuat, ob quam Ecclesia merito sibi referuat
hanc relaxationem, sine qua non vult censerī abla-
tum vinculum, quod ipsa posuit: quia expedit, vt
prius ipsa Ecclesia cōuenientem satisfactionem im-
ponat, & si opus fuerit, pœnam augeat iuxta graui-
tatem, & durationem contumaciæ: sicut de exco-
municatione diximus. Et in hoc est magnum dis-
crimen inter hanc censuram latam ob contumaci-
am, vel in pœnam ad definitum tempus: nam quando
fertur hoc posteriori modo, iam culpa tota commissa
est, & castigatio condigna est ab Ecclesia imposita &
ideo non amplius ligat, quam vsque ad pœnæ com-
plementum: quando autem fertur priori modo,
culpa est quasi in continua successione, & argumen-
to: & quo diuturnior est contumacia, eo digna est
maiori satisfactione, & supplicio. Et ideo absolute
ligat vsque ad absolutionem ab Ecclesia. Ad hanc e-
nim referenda est omnis conditio, sub qua fertur
hæc censura, siue implicite, siue explicite ponatur:
non enim adhibetur, vt ipso facto tollatur impleta
conditio: sed, vt per Ecclesiasticum Iudicem tol-
lenda sit. Atque ita semel responsum est ad funda-
mentum contrariæ sententiæ.

An per mutationem loci relaxetur eius inter-
dictum.

Difficultas vero superest, an hæc regula patiat
aliquam exceptionem. Et solet in tribus casu-
bus tractari: primus est de interdicto locali, an per
loci mutationem cesset aliquando. Nam ex princi-
piis supra positis de censuris in communem videtur
affirmandum, quia destructo subiecto tollitur cen-
sura tanquam accedens illi inhærens. In contrarium
vero

vero est, quia in hoc interdicto non videtur habere locum talis, ac tanta mutatio, aut destructio loci ipsius.

In hoc distinguendum in primis est de generali interdicto locali, & particulari. Nam generale per se primo fertur in totam aliquam ciuitatem, vel prouinciam: consequenter vero in partialia loca eius: ab illa ergo re, in quam per se primo fertur hoc interdictum, non potest, moraliter loquendo, auferri per destructionem eius: quia vel non contingit, totum illud locum destrui, praesertim si amplissimus sit: vel, licet destruat ciuitas, vel illa, semper manet solum illud, in quo sunt ruinae ciuitatis quod manere potest interdictum, vt a simili constabit ex interdicto particulari. Posset tamen dubitari, an moralis alienatio, aut venditio sufficiat, vt ipso facto locus non maneat interdictus, vt, ver. gra. si terra sit interdicta propter peccatum domini, & interim dominus terram illam omnino alienet: videtur enim tunc ipso facto tolli interdictum, quia iam non manet illa terra sub eo respectu, sub quo interdicta fuit. Sicur e contrario, si talis dominus de nouo aliquam terram acquirat, illa statim fieret interdicta ex vi prioris sententiae, per quam tota terra talis domini interdicta fuit.

Nihilominus tamen communis sententia est, in eo casu non auferri interdictum propter alienationem. Quam tenuit Syluester, *Interdictum*, 2. num. 3. cum Calderino tractatu de Interdicto, membr. 2. & Geminiano cum aliis, in cap. *Si sententia*, de Sentent. excommu. in sexto. Quorum ratio est quia hoc interdictum est veluti onus quoddam loci interdicti: cum autem res alienatur, transit cum suo onere argum. cap. *Ex literis*, de Pignori. & cap. *Pastoralis*, de Decimis. Addi etiam potest, hunc modum eludendi interdictum posse cedere in praedictum, & vilipedium Ecclesiasticae potestatis: & ideo nec talis modus tollendi interdictum est in usu, nec permittendus est. Quamquam ergo terra illa non fuerit interdicta, nisi quia erat talis domini: non tamen interdictum semel latum dependet ab illa conditione quae si in heri, & conseruari, sed illi respectus, scilicet fuisse talis domini tempore, quo latum est interdictum, sufficit, vt semper duret: donec per relaxationem Ecclesiae auferatur. Atque eadem ratio e contrario dicendum est, locum de nouo emptum, vel aliter acquisitum a tali domino, non eo ipso manere interdictum, si non fiat pars loci prius interdicti, sed solum eiusdem domini: quia a principio talis locus non fuit comprehensus in sententia interdicti. Quod tamen intelligendum est, vt notauit Syluester, nisi per sententiam interdicta sit omnis terra talis personae possessa, vel possidenda: nam tunc se haberet sicut interdictum deambulatorium, de quo statim dicendum.

De partibus vero loci generaliter interdicti dubitari potest, quando aliqua pars ita separatur a toto loco interdicto, vt omnino iam non sit, nec censetur pars eius: tunc enim videri potest, locum illum non manere interdictum, quia non est in eo illud per se primo latum interdictum: sed solum quatenus est pars totius loci per se primo interdicti: ergo hoc ipso, quod definit esse pars, definit etiam esse interdicta, sicut in simili statim dicemus de interdicto locali speciali. Sed nihilominus rationes factae de loco totali videntur aequae procedere de partiali: & ideo fortasse auctores, citati nihil quoad hoc inter ea distinguunt. Accedit praeterea, quod nulla separatio intelligi potest, quae sufficiat ad hunc effectum tollendum: aut enim illa est separatio aut physica aut moralis. Prior non habet hic locum, quia pars loci interdicti non est physice, seu localiter separabilis a toto loco interdicto: quia non est aliqua res mobilis, sed locus immobilis, vt physico more loquamur. Nam licet destruantur

Aedificia, quae ibi sunt, manet solum, & quamuis per possibile, vel impossibile hoc materiale solum, seu haec indiuidua terra alio transferretur, semper manebit idem locus immobilis aequae propinquus generali loco interdicto: ergo propter separationem physicam, seu localem nunquam potest talis pars liberari interdicto. Separationem autem moralem appello illam, quae fit per alienationem, vt dicitur ciuitas separare a regno Castellae, v. g. si alienetur, & vendatur Regi Galliae: huiusmodi autem separatio non sufficit, quia ostensum est in toto non sufficere, ergo nec in parte satis erit. Est enim eadem ratio scilicet, durationem iurisdictionis, seu domini non esse necessariam, vt interdictum perseueret: sed in presenti sufficit, vt talis loci pars sit toti aliquo modo realiter, & localiter coniuncta: nam si sint loca omnino seiuncta, & separata, reuera interdictum illorum multiplex est, quamuis per modum vnius feratur, quando talia sunt sub domino vnius personae: quod essentiale non est, vt interdictum semel latum perseueret, vt diximus.

Eadem proportionem rationandū est de interdicto locali speciali. Nam in primis probabiliter censeo, per destructionem loci, v. g. templi interdicti non omnino extingui interdictum, quia remanet aliquid, in quo possent vel sepeliri corpora defunctorum, vel etiam erecto altari sacra celebrari, seclis aliis incommodis: quoad haec ergo non manet ille locus immunis ab interdicto. Quia interdictum hoc etiam non pendet ex aedificio, seu recto, aut parietibus, cum etiam loca qualibet, vt viae & plateae interdicti possint: quamuis ergo interdicatur specialis locus, in quo est aedificium, non tamen solum aedificium, sed etiam pavementum ipsum interdicatur: & ideo in eo saltem perseuerat interdictum, sicut in simili dicemus statim de interdicto personali. Quin potius addo, si illa duo inter se comparentur, solum, & aedificium, potius aedificium propter solum, quā e conuerso interdictum: nam si fingamus totum illud aedificium destrui, & alio transferri, ita vt ex eisdem lapidibus, & lignis in eadem forma compositis, in alio situ distante aedificaretur simile templum, illud iam non esset interdictum, quia ratione soli non est illud templum, quod interdicto specialiter subiectum fuit: & hoc videtur esse, quod principaliter interdicatur, quia illud est quasi fundamentum, & basis talis loci: vel potius quia illud est id, quod est immobile in loco, sub quo respectu fertur praecipue interdictum locale, vt paulo antea dicebamus. Atque ob hanc causam, quamuis destructa Ecclesia, & iterum aedificata in eodem omnino situ, materiali, & vulgari modo diuersum templum censetur: tamen & sub quadam physica ratione censetur idem locus, & sub morali respectu quasi idem templum existimatur: ideoque eisdem priuilegiis gaudet, vt est communis Iuris peritorum sententia. De qua videri potest Felinus in capitulo, *Cum dilectus*, de Rescriptis, numero 97. & Felon in leg. *Inter stipulantiem*, §. *Sacram*, numero trigesimo, ff. de Verbor. obligat. si ergo in praesenti, si templum in eodem solo regrediretur durante interdicto manebit interdictum ratione soli, quia semper est moraliter idem locus, qui interdictus fuit. Et eadem proportionem loquendum est de loco partiali talis Ecclesiae specialiter interdictae: nulla enim videtur possibilis destructio, aut separatio, per quam illa pars interdicto liberetur: quia necesse est, vt semper maneat solum aequae coniunctum illi Ecclesiae: nam cimiterium etiam interdicatur interdicta Ecclesia, & a fortiori manebit interdicta illa pars templi, etiam si sola area maneat. Imo etiam si quis fingat illam partem moraliter separari, ita vt iam non sit pars templi, nec cimiterium eius: nihilominus censeo, semper locum illum manere interdictum, donec relaxatio fiat propter rationem

Locus de nouo acquisitus a domino, non interdictus, nisi maneat interdictus.

Pars quodlibet mo dispartita a loco generaliter interdicto ad hoc manet interdicta.

Si totum aedificium in alio loco cum materia non manebit interdictum.

Felin. Iason. Si templum in loco interdicto reaedificetur, manet eisdem interdictum.

factam de interdicto generali, quæ hic applicari potest, nec minui unquam ipso facto propter aliquam loci mutationem absque relaxatione.

¹⁴ *A. præcedenti doctrina ex-
cipitur inter-
dictum de
bulatorio.*
Solum videtur necessario faciendæ exceptio in interdicto deambulatorio: per illud enim interdictum locus, in quo talis persona detinetur, seu existit; ergo hoc ipso, quod persona ab illo loco transfertur, tollitur interdictum illius loci, absque alia relaxatione, sicut è conuerso alius locus, in quem persona transit, incipit esse interdictus absque noua sententia. Quia prior ad hunc effectum extenditur, & quasi transfert interdictum ab vno loco in alium: nam intentio ferentis, iuxta communem usum, & sensum huius interdicti, non est vt tale interdictum ita permaneat: sed solum in eo, in quo est talis persona. Atque ita hanc conditionem requirit vt necessariam, non solum vt interdictum in loco oriatur, sed etiam vt perseueret: ac propterea hoc est speciale in tali casu. Et congruentia reddi potest: quia tale interdictum non fertur in odium ipsius loci, vt sic dicam, sed in odium talis detentionis, seu alterius facti talis personæ in quolibet loco. Et ideo nullus illorum locorum interdictum simpliciter, solum pro eo tempore, in quo talis persona in eo detinetur, vel aliquid simile in eo fit. Secus vero est, quando propter contumaciam personæ locus interdictum independenter à præsentia eius, vel alia actione in tali loco: tunc enim donec relaxetur interdictum, vel persona ipsa absoluitur non tollitur interdictum.

*An interdictum generale personale cesset, de-
structa communitate.*

¹⁵ *Dissoluta
communitas
interdictum
tollitur in-
terdictum
personale
generale.*
Secundus casus est de interdicto generali personali, quod hanc habet specialem rationem, vt feratur in totum illud corpus, vt est vnum moraliter, seu politice, videlicet vnum Collegium, vel vnus populus, &c. de quo tempore optime contingere potest, vt omnino dissoluatur, & consequenter destruitur sub tali ratione: tunc ergo verum censetur, tale interdictum cessare, seu carere effectu ob destructionem subiecti, in quo per se primo latum erat. Et tunc est optima illa ratio, quia erat veluti affectio eius, quæ destruitur destructa re, quam afficit iuxta illud: *Destructis nobis, destruantur ea, quæ sunt in nobis.* Vnde cum dicimus, perseuerare interdictum donec auferatur, semper intelligimus, perseuerante re capace interdicti, vel alicuius effectus eius. Non quis est, quod maneant illi homines, ex quibus Collegium v.g. componebatur, si iam reuera collegiales non sunt, nec Collegium consuevit: quia illi non erant per se interdicti, neque vt Petrus vel Paulus, sed vt partes talis corporis politici, & quasi consequenter ad interdictionem eius: sub illa autem ratione non manent.

¹⁶ *Persona quæ
desinit esse
membrum
communitatis
interdictum
non ligatur
interdicto.*
Atque hinc vterius fit, posse hoc interdictum cessare ipso facto in qualibet persona illius communitatis per separationem ab illa, etiam si interdictum maneat in tota communitate; vt v.g. si collegium sit interdictum, & aliquis omnino dimittat societatem & habitum illius Collegij, iam non participat interdictum illud. Idemque est, si interdicto populo aliquis inde mutet domicilium, vel quâcumque via de illa communitate esse desinat: Ratio est, quia illa persona non per se interdicta, sed quasi per participationem ex toto, cui erat vnita: ergo ablata illa vnione, iam non participat illam conditionem totius. Item iam non gaudet privilegiis illius communitatis: ergo nec debet onera participare, aut secum ferre. Item iam non comprehenditur sub verbis sententiarum, vel legis, quæ per se primo solum interdicunt communitatem, personas vero non solum communitatem vt partes eius: ergo ablata ratione partis,

¹⁷ *Quid sit
interdictum
de ambulatorio
interdictum
de ambulatorio
interdictum
de ambulatorio*
aufertur tota ratio, & fundamentum huius censure. Tandem qui post interdictum latum denuo coniungitur tali communitati, statim participat interdictum eius, vt superioribus ostensum est: ergo & conuerso, qui ab ea separatur, hoc ipso desinit interdictum participare. Est enim huiusmodi interdictum, quasi lex quædam illi communitati imposita: ideo non obligat nisi membra eius: igitur eo ipso, quod desinit esse membrum talis communitatis, desinit etiam huiusmodi interdicto ligari. Atque hæc est communis sententia Canonistarum in cap. *Si sententia*, de Sentent. excommuni. & Summistarum, verbo *Interdictum*, præsertim Syluester, *Interdictum*, secund. num. 10. 11. & 12. vbi refert Calderinum, qui hoc late tractat in tractatu de interdicto, membr. 2. & idem tenet Couarruias lib. 2. Variar. cap. 8. num. 10.

Neque contra hoc vrget argumentum, quod sumi posset ex dictis de interdicto locali: est enim diuersa ratio, quia locus etiam generalis non interdictum per modum vnus corporis politici, quod proprio nomine collectiuo significari solet: sed tanquam totum quoddam integrale, cuius partes non sunt ab ipso separabiles, vt fuisse declarauimus: per interdictum autem personale generale primario interdictum corpus quoddam politicum, cuius membra possunt ab illo moraliter separari. Similiter etiam hoc non repugnat generali regulæ, quod interdictum non cessat donec relaxetur: tum quia hoc semper verum est respectu illius rei, quæ per se, ac primario interdictum: tum etiam quia illud etiam procedit durante re, quæ interdictum, & sub ea ratione, qua interdictum: hic vero eo modo, quo per hanc censuram ligantur singulæ personæ; non permanet id, quod interdictum secundario, & concomitantem, quando talis persona à communitate separatur: quia non interdicebatur vt talis persona, sed vt pars talis communitatis.

¹⁸ *Quid sit
interdictum
de ambulatorio
interdictum
de ambulatorio
interdictum
de ambulatorio*
Sed quid, si is, qui mutat domicilium, seu à communitate separatur, causam dedit interdicti? Videatur enim sequi ex dictis, etiam illum liberari ab hoc interdicto per talem separationem: quia etiam ille non interdictum nisi vt membrum vniuersitatis. Nihilominus omnes dicti auctores hanc excipiunt dicentes, secum ferre interdictum, quantumuis à communitate recedat. Et ratio optima est, quare respectu illius tale interdictum non est generale, sed habet vim specialem, quod non per participationem à communitate, sed per se afficit talem personam: imo quodammodo tale interdictum redundat in communitatem ex tali persona: nam illius causa interdictum. Denique talis persona interdicta est propter contumaciam suam; & ideo non expedit, vt perseuerante contumacia, possit interdicto liberari à tali communitate recedendo: secus vero est de his, qui cum innocentibus sint, hoc interdicto afficiuntur, solum qui partes sunt communitatis. Excipit tamē Syluester supra num. 12. eum, qui separatur à populo interdicto per ingressum, vel professionem religionis: putat enim, illum liberari interdicto, etiam si fuerit in culpa; quia religio (ait) est maxima poenæ & mors ciuili. Sed nisi ex privilegiis religionis id habeatur ex iure communi, aut ex dicta ratione satis probatur quis omni Ecclesiastica censura ipso facto, si in eum specialiter lata sit: hoc autem interdictum habet vim specialem censuræ respectu eius, qui in culpa fuit.

¹⁹ *Si populus
interdictus
ex parte
interdictus
ex parte
interdictus
ex parte*
Tandem posset è contrario dubitari, an, si populus est interdictus propter peccatum domini, & desinat esse illius domini, hoc ipso cesset interdictum in tali populo: quia non videbatur interdictum nisi vt corpus talis capitis, vt sic dicam: ergo ablato hoc respectu cessat interdictum: sicut de singulis personis dicebamus ablata ratione partis, sub qua interdicebatur, cessare in eis interdictum. Dicendum vero est, in

est, in eo casu non tolli interdictum illius populi ipso facto. Ratio est, quia per se primo interdictum est talis populus, & ille idem manet etiam sub ratione talis corporis publici, etiam si non maneat sub eodem domino, vel Gubernatore. Vnde licet subiectio ad talem dominum fuerit necessaria conditio, ut propter eius delictum populus interdictio subiceretur; tamen non fuit quasi formaliter constitutus illud corpus, quod subicitur interdictio: ac propterea interdictum illud semel latum non pendet in conservari ab illa conditione: nec potest aliter, quam per propriam relaxationem auferri, nisi totus populus dissipetur.

An qui ligatus personali interdictio particulari moritur, antequam absolatur, ipso facto liberetur interdictio.

Tertius casus est de interdictio personali particulari, & est difficultas, quando is, qui erat interdictus, ante absolutionem consecutus moritur vere penitens tunc enim aliqui putant, ipso facto liberari interdictio, nec indigere relaxatione. Quod Ca. Is cui, de videtur probari ex cap. Is cui, de Sententia excommunicationis, in sexto, ubi de eo, cui est ingressus Ecclesie interdictus, dicitur: *Talis quoque, si hoc interdictum durante decedat, non debet in Ecclesia, vel cimiterio Ecclesiastico, nisi penituerit, sepeliri*: ergo & conuerso, si penituerit, sepeliri poterit absque alia relaxatione: ergo omnino sublatum fuit interdictum: nam quoad alios effectus per destructionem subiecti destructum fuit, quia corpus defuncti non est capax aliorum diuinorum officiorum, vel sacramentorum, quibus priuatur interdictum. Anima vero non priuatur ratione interdicti suffragiis, vel aliis Ecclesiasticis bonis, quorum participes esse potest: & ideo interdictum ad illam semel a corpore separatam nullo modo extenditur. Atque ita sentit Couarruias in cap. Alma, parte secund. §. primo, numero tertio. Sed contra: nam sequitur, illum agrotum, eo ipso, quod ille dum viveret, penitentiam egit, liberatum fuisse illo interdictio, etiam quoad alios effectus talis interdicti: poterat ergo ille penitens, etiam dum viveret, ingredi Ecclesiam, & in ea communicare, vel alia diuina participare: quia nulla videtur esse ratio, ob quam ille, per penitentiam liberetur ab interdictio quoad effectum, quem habet in corpore defuncti post mortem eius, & non quoad effectus, quos habet in viuentem. Hoc autem consequens repugnat his, quae diximus, & rationi; quia censura non tollitur per penitentiam, etiam si propter contumaciam lata sit, sed tollitur per Ecclesie absolutionem.

Et ideo Ioannes Andreas, Ancharranus, Geminianus, & Philippus Francus existimant, in eo casu necessarium esse, vt post mortem penitents interdictum relaxetur quoad viuentes: illi enim sunt, qui proprie obligantur, vt non tradant sepultura corpus defuncti, qui ligatus censura absque absolutione decessit: eorum autem obligatio non tollitur ipso facto per penitentiam alterius, argument. cap. A nobis, 2. de Sentent. excommunicationis, iam enim ostendimus, quoad hoc excommunicationem, & interdictum equiparari. Sensus ergo illius capit. Is cui, (omissis aliis expositionibus in superioribus tactis) est quando aliquis interdictus signa penitentiae exhibuit, relaxari debere interdictum: vel etiam posse a quolibet Sacerdote, vt sepultura non negetur. Nam quia interdictum solent iura priuare sepultura Ecclesiastica propter peccatum, etiam si ante mortem penitentia praecedat, vt patet ex cap. primo, de Torneamentis, & ex cap. secund. de Raptoribus. Ideo specialiter expressum est in eo textu, vt propter tale delictum, vel interdictum, si peniten-

tia praecedat, sepultura Ecclesiastica non denegetur: id tamen intelligendum est seruato debito ordine, quod nimirum relaxatio interdicti praecedat, propter rationes supra datas, quae tunc etiam locum habent.

Vnde obiter colligo, decisionem illius textus non solum habere locum in interdictio lato ob contumaciam (quod Couarruias sentire videretur) sed etiam in lato in puram poenam, siue simpliciter, siue ad certum tempus latum sit: nam textus absolute loquitur de illo, cui est Ecclesie ingressus interdictus: nec restringit ad casum contumaciae: ergo nec nos restringere debemus. Item prior pars illius textus, quae rigorem continet, quatenus dicit irregularem fieri eum, qui tali interdictio ligatus in Ecclesia celebrat: comprehendit non solum eum, qui ob contumaciam interdictus, sed etiam in poenam, vel ad certum tempus, vt constat ex supra dictis, & ex omnium sententia: ergo etiam posterior pars, quae fauorem continet, cum eadem amplitudine debet intelligi. Si quis ergo propter crimen aliquod per menssem, vel annum ab ingressu Ecclesie interdictus sit, quamuis ante elapsum illud tempus decedat, si vere penitens moriatur, non debet Ecclesiastica sepultura priuari ex vi huius textus. Cum autem constet, tale interdictum non tolli ipso facto propter penitentiam, manifestum est tunc esse tollendum, & hanc facultatem in illo textu concedit: haec ergo videtur esse legitima interpretatio illius textus pro quocumque interdictio.

SECTIO II.

Quis possit interdictum relaxare.

RELIQUA, quae de relaxatione interdicti desiderari valent, breuissime possumus expediri. Nam de effectibus eius nihil dicere necesse est, nec de causa finali: quae in idem coincidunt: quia constat, proprium effectum huius absolutionis esse tollere hanc censuram, & restituere homini omnia illa bona, seu moralem aptitudinem ad illa quae interdictum tollebat, vel impediabat: & propter hanc praecipue causam dari, quamuis requiratur causam moriariam, vel penitentiam, & satisfactionem eius, qui causam dederat interdictio: vel aliam iustam rationem ad maius commune bonum, vel eius, qui interdictus fuerat, pertinentem. De causa etiam materiali nihil dicere oportet; nam haec eadem est, quae ipsius censura: quia priuatio, & habitus circa idem versantur. Solum ergo pauca dicenda supersunt de causa efficiente, & de modo, seu forma ferendi hanc absolutionem.

Circa priorem causam recolenda sunt dicta de censuris communi, & ad hanc particularem applicanda: nam, si interdictum ab homine latum sit per particularem sententiam, solus ille, qui eam tulit, vel eius superior, vel alius ex commissione eius potest illam auferre, quod late ibi declarauimus, neque hic occurrit aliquid speciale dignum animaduersione. Atque ita sentit Syluester *Interdictum*, 3. nu. 16. & alij Summistae eodem verbo, & Soto in 4. dist. 22. quaest. 3. artic. 4. concl. 3. & iuris interpretes communiter in cap. Si sententia, & Si ciuitas, de Sententia, ex cap. in sexto. Si autem interdictum sit a iure latum, distinguendum est de illo, quod fertur in poenam tantum delicti commissi, vel ob contumaciam. Illud prius regulariter fertur ad certum tempus; quo elapso per se finitur. Si autem ante elapsum tempus tollendum sit, existimo non posse tolli, nisi a legislatore vel eius superiore, vel ab eo, qui potestatem habet dispensandi in tali lege. Quod supra in simili diximus de suspensione cum Nauarro, & aliis, quos

quos ipse refert capit. 27. numer. 162. Et eadem ratio de hac censura, quando similiter in penam fertur: videantur ergo ibi dicta, & huic loco applicentur.

Vnde idem dicendum est de interdicto simpliciter lato abique temporis limitatione, si in puram penam fertur, & non ut à contumacia recedatur: quamvis illud, ut supra dixi, raro cōtingat. Solumque ita interpretandum sit, quando fertur ob delictum pure præteritum, quod non habet tractum successuum in futurum: neque etiam aliqua conditio additur, quæ in futurum pendeat: quod vix credo posse fieri in hac censura, & ideo circa hoc nō immoror: tamen si fiat, seruanda sunt, & applicanda dicta de suspensione simili modo lata.

Interdictum potest ferri cum reservatione. Soto. Quod excommunicatio reservata fertur non est signum interdicti ob idem crimen latum esse reservatum.

Syluest.

Ioan. Andr. Gloss. Quia potest ob interdictum absolueri.

Quod ius in interdictum locale non reservatum tolli potest solum ab habente iurisdictionem Episcopo.

Supereft ut dicamus de absolutione ab interdicto, quod fertur ob contumaciam. Quod dupliciter ferri potest: primo cum reservatione ut constat ex casibus præcedenti disputat. numeratis: nam saltem interdictum latum in bulla Cœnæ Domini reservatum est, quamquam Soto supra artic. 1. in fine tertie conclusionis absolute dicat, nullum esse interdictum iuris Summo Pontifici reservatum, quod forte est verum de facto de interdictis latis in corpore iuris: non tamen de omnibus: & multo certius est posse interdicta ferri à iure cum reservatione: Sicut possunt ferri ab homine vel per particularem vel per generalem sententiam. Aduerti tamen oportere nō satis esse, quod excommunicatio, verbi gratia, personæ, quæ causam dedit interdicto communis vel loci, reservata sit, ut interdictum etiam censetur reservatum quamvis oppositum existimauerit Syluester secutus Archidiaconum Interdictum. 3. nu. 16. sine fundamento. Quia excommunicatio, & interdictum, diuersæ censuræ sunt, & quamvis pro eodem delicto simul ferantur, vel respectu diuersorum, ut sunt communis vel locus: & persona priuata: vel etiam respectu eiusdem potest vna reservari, & non alia; quia non habent in hoc necessariā connexionem. Vnde potius eo ipso quod in vna censura exprimitur reservatio, & in alia taceretur, ab ea tacite excluditur iuxta c. Non nē, de Præsumpt. & ita tenuit Ioan. Andr. ut idem Syluest. refert: & sentit Gloss. in Clem. 1. §. Verum, verb. excommunicatio, de Hæret. Necessarium ergo est, ut reservatio in censuram interdicti directe cadat: illa vero supposita certum est, tale interdictum tolli non posse, nisi ab eo, qui sibi illud reservauit, ut per se constat & ex supra dictis de censuris in communi. Vnde obiter confirmari potest, quod præcedenti sectione diximus, interdictum latum ob contumaciam non auferri ipso facto propter penitentiam, vel satisfactionem, alias nullius momenti esset reservatio, solum hic adde Episcopos posse absolueri ab his interdictis reservatis Pontifici, si casus occultus sit per Concilium Trid. sess. 24. capit. 6. de Reform. Nam licet in priori parte illius textus, quæ est de dispensatione, solum sit sermo de irregularitate, & suspensione, & ideo illa non extendatur ad interdictum quod non est censura, nec absolutione tollitur, sed dispensatione, ut si in puram penam sit pro certo impositum personæ: nihilominus in posteriori parte, quæ est de absolutione, sermo est absolutus de omnibus casibus reservatis: & ideo hanc etiam censuram comprehendit.

Alio modo potest ferri hoc interdictum à iure simpliciter, & sine reservatione. Et tunc est difficultas an inferior possit absolueri à tali interdicto. In qua difficultate vltius distinguendum est de interdicto locali, & personali: nam illud prius, siue generale siue particulare, nunquam videtur posse tolli, nisi auctoritate Episcopi illius loci, vel qui in illo participet Episcopalem iurisdictionem. Ab his autem tolli posse videtur, etiam si iure Pontificio latum sit, dummodo non sit reservatum. Hæc posse-

A rior pars probatur ex regula, cap. Nuper, de Sentent. excomm. quod legislator non reservauit alii ordinarius iudicibus concessisse videtur. Quem textum statim magis expendimus. Respectu autem loci solus Episcopus, vel qui Episcopalem iurisdictionem participat, est ordinarius iudex, habetque iurisdictionem in foro contentioso, quæ ad huiusmodi relaxationem necessaria est.

Atque hæc eadem ratio idem conuincit de interdicto generali personali, quia etiam respectu communis ordinarius iudex in Ecclesiastico foro externo, est Episcopus. Nec respectu communis, ut sic, habet locum iurisdictionem in foro interiori sacramenti penitentia, ut ratione illius concessa censeatur iurisdictionem ad tollendam hanc censuram, quia communis ut sic non est capax sacramenti penitentia. Et hinc vltius colligo, non posse singulas personas populi generaliter interdicti libertati à participatione talis interdicti per Parochum, aut alium similem inferiorem clericum. Ratio est, quia respectu talis interdicti nullam habet iurisdictionem, eo quod non fertur per se in personas singulas, sed in communitatem. Item, quia secundum ordinariam legem Ecclesiæ, repugnat vniuersitatem ut sic, manere interdictam, & tamen personas singulas persistentes membra communis libertari, & absolui à tali interdicto: quamvis enim alicui forte hoc possit interdum concedi: id tamen erit per modum priuilegij, aut dispensationis, non vero ordinario iure: ergo non potest hoc fieri auctoritate alicuius inferioris, qui potestatem non habet ad tollendum totum interdictum. Et confirmatur, quia alias fieri posset, ut tale interdictum sigillatim auferretur ab omnibus personis illius populi, manente interdicto toto populo ut sic: quod repugnat, alioqui tale interdictum inutile esset, argumēt. cap. Si sententia, de Sen. excomm. Neque in his inuenio difficultatem, quæ communia esse videntur, ut patet ex Gemmano, Philippo Franco, & in cap. Si sententia, de Sen. excomm. in 6. & Ancharano in Clem. vnica de rebus Eccles. non alien. nu. 12. Soto, Syluestro, & aliis Summistis.

De interdicto denique personali speciali facile concluditur ex dictis posse ab Episcopo tolli: an vero possit etiam auferri à quolibet proprio sacerdote, seu ordinario confessore, qui possit absolueri à peccatis mortalibus, dubitari potest. Pars enim negatiua videtur concludi ex dictis: nam grauius est hoc interdictum respectu talis personæ, quam si interdictum communis respectu singularum personarum: quia particulare interdictum non ponitur sine propria culpa talis personæ; per generale autem interdictum ligatur persona sine propria culpa: ergo si hoc vinculum, quod sine propria culpa contrahitur ab inferiori sacerdote auferri non potest, multo minus poterit illud auferri, quod propter propriam culpam positum est. Et confirmatur, quia alias posset Parochus absolueri à generali interdicto eum, propter cuius culpam positum est, cum tamen non possit absolueri alios innocētes: quod, quam sit absurdum per se satis patet. Sequela probatur, quia interdictum illud respectu eius, qui causam dedit, habet vim interdicti particularis personalis, ut supra diximus.

In contrarium vero vrget dictum capit. Nuper, de Sentent. excomm. ubi absolutio excommunicationis non reservata censetur concessa non solum Episcopo, sed etiam proprio sacerdoti: ergo idem dicendum est de absolutione interdicti personalis particularis: nam hæc duæ censuræ quoad hæc æquiparantur, iuxta Glossam in cap. Præsent. verb. Generaliter, de Sentent. excomm. in sexto. Respondent alii, non esse parem rationem: quia excommunicatio impedit sacramentalem absolutionem: & ideo, quando reservata non est, committitur illi, qui potest

potest sacramentaliter absolueret, vt possit suum A
munus exercere, & subditum curare. At vero inter-
dictum non impedit receptionem sacramenti poe-
nitentiae maxime post cap. Alma, & ideo absolutio à
tali interdicto non est per se praequa ad absolutionem
sacramentalem: ac propterea non est cur cuiusque
ordinario confessori concedatur. Hæc tamen diffe-
rentia, licet in generali interdicto habere posset lo-
cum, non tamen in particulari: quia hoc interdum
etiam impedit absolutionem sacramentalem, vt su-
pra suo loco notauimus ex ipso met. cap. Alma: ergo
potius hinc confirmatur æquiparatio interdicti cum
excommunicatione, quæ cum fauorabilis sit, exten-
denda est. Præsertim, quia non tam est consideran-
da materialis illa censura, vt sic dicam, de qua Pon-
tifex ibi loquitur, quam formalis ratio, & intentio
illorum verborum, Quia tamen conditor canonis eius
absolutionem sibi specialiter non reuocauit, eo ipso alius con-
cessisse videtur: vbi illud relatiuum eius, non refert ex-
communicationem, sed iuris sententiam, qua ali-
quis ligatur, quæ in interdicto etiam locum habet.
Et præterea si sub his verbis non comprehenditur
interdictum particulare personale: neque etiam com-
prehenditur cum proportionem interdictum locale,
vel personale generale; atque ita non poterit Epi-
scopus relaxare aliquod interdictum iure Pontifi-
cio latum: etiam si referuatum non sit, quod est con-
tra sententiam communem, vt videre est apud Syl-
uestrum, Interdictum, 3. quæst. 10. & alios Summistas,
& Soto.

Propter has ergo posteriores rationes, quæ multis
dicti autores absolute dicant, solum Episcopum, vel
prælatum participantem iurisdictionem eius posse
absolueret ab interdicto iure lato: nihilominus pro-
babilius censeo hoc interdictum particulare perso-
nale, si referuatum non sit, ab eodem sacerdotem tolli
posse, à quo potest auferri excommunicationis iuris non
referuata, dummodo sit propter contumaciam la-
tum, vt diximus. Item necesse est, vt causa interdicti
tollatur, & sufficiens satisfactio fiat, vel cautio de-
tur, iuxta dicta de Excommunicatione.

Ratio vero dubitandi in contrarium posita, facile
soluitur negando similitudinem rationis, propter
differentiam insinuatam, quod interdictum gene-
rale non excludit innocentes à receptione sacramen-
ti poenitentiae. Dices, quod hoc ita fit iure nouo, ta-
men iuxta antiquum excludebantur: decilio autem
cap. Nuper, antiquior est, quam concessio cap. Alma,
& ideo per ius antiquum interpretanda est. Sit ergo
alia ratio, quia interdictum generale, licet cõpara-
tum ad personam innocentem, videatur lenius, seu
relaxatione dignius: tamen in se ac simpliciter gra-
uius est: & quia per se primo non respicit priuatas
personas, sed corpus commune, ideo eius relaxatio
superiorem requirit potestatem: quia vero à singu-
lis personis auferri non potest, nisi in se, ac simplici-
ter tollatur, inde fit, vt etiam respectu cuiuscunque
particularis personæ difficultas tollatur, quam
particulare interdictum. Nec refert quod propter
propriam culpam latum sit, nam propterea requi-
rimus, vt culpa tollatur, & satisfactio exhibeatur.
Neque etiam admittimus hoc posse extendi (vt in
quadam confirmatione inferebatur) ad eum, qui
causam dedit interdicto generali siue personali, siue
locali: is enim absolui non potest, nisi ab eo, à quo
tale interdictum simpliciter tolli potest: quia, licet
respectu illius personæ, quasi eminenter habeat vir-
tutem & efficaciam interdicti particularis persona-
lis: tamen simpliciter, ac formaliter est maius
illo: ac propterea auferri non potest
ab inferiori sacerdote, sed solum
ab Episcopo.



Q UOD attinet ad substantialem for-
mam huius reuocationis, nulla sunt
verba determinata, sed illa sufficiunt
& necessaria sunt, quæ voluntatem
tollendi illud in habente potestatem
significent, vt omnes Summistæ, & Doctores do-
cent. Quia tamen aiunt aliqua verba esse necessaria,
nec sufficere alia signa, per facta, vel aliquid huius-
modi: quod commune est aliis censuris: tamen cum
eadem limitatione id accipiendum censeo, facta e-
nim vel similia signa per se sumpta non sufficiunt:
tamen si coniungantur aliquibus verbis, cum illis
possunt complere perfectam significationem, satis-
que expressam, vt absolutio habeat effectum. Com-
munis casus, seu exemplum est: nam, si Episcopus
non seruet interdictum à se latum, id satis non est,
vt censeatur auferre interdictum, argumento capiti-
Cum desideres, de Sentent. excommuni. quia illa abso-
lutio nullo modo est verbalis: & ideo solum Sum-
mo Pontifici licet illo modo reuocare censuram,
quia non est aliter ordinario iuri. At vero, si talis
Episcopus dicat, intentionis suæ esse interdictum re-
laxare cum primum illud non seruauerit, illud satis
erit ad relaxandum interdictum. Quod docuit Syl-
uester cum Calderino, Interdictum, 3. q. 9. & mihi pla-
cet (licet aliqui dubitent) quia licet factum illud per
se non sufficiat, tamen cum verbis coniunctum, est
sufficiens signum, & dici potest verbalis relaxatio.
Sicut, si per verba interrogaretur: an vellet interdi-
ctum relaxare, & annueret solis signis, factis in rigore
esset, quantum spectat ad substantiam formæ: quæ
uis non directe faceret Episcopum vtens his signis vel
ambiguus, vel incertis. Quod vero attinet ad acci-
dentialia, nullam specialem solennitatem inuenio
circa hoc à iure præscriptam: & ideo nihil hic adde-
re oportet præter dicta de censuris in communi, &
de Suspensione. Aduertit tamen Syluester, Interdi-
ctum, 3. q. 8. in fine, & 9. in principio reuocationem
interdicti debere fieri cum iuramento: quod probat
ex cap. Alma, vbi nihil de hoc in speciali habetur:
& ideo seruanda sunt quæ in dictis locis, & tractan-
do de excommunicatione adnotauimus.

Duo tamen hic addenda super sunt. Vnum est, an
in interdicto locum habeat relaxatio, seu absolutio
ad cautelam, sicut in excommunicatione. Quod
tractant Couarruias in cap. Alma, p. 2. §. 2. num. 5. &
Nauarrus in ca. Cum contingat, de Rescriptis, remedi-
relam, sexto, & iuris interpretes in cap. Præsent, de Sentent.
excommunicat. in sexto. In quo textu habetur hu-
ius questionis resolutio quantum attinet ad inter-
dictum generale loci: dicitur enim ibi, in huiusmodi
interdicto, non habere locum beneficium relaxationis ad
cautelam. Cuius ratio sufficiens est iuris institutio, à
qua hæc omnia maxime pendent: fortasse tamen
propter grauitatem huius censuræ, quæ valde pu-
blica est, voluit ius, vt, quando nulla esse dicitur, de-
beat aut declarari nulla, aut simpliciter tolli. Addit
vero Nauarrus quandam limitationem, videlicet
quando relaxatio petitur simpliciter ad instantiam
partis, ob cuius culpam positum dicitur, præstata
cautione de parendo iuri, tunc relaxandum esse in-
terdictum antequam de iustitia, vel nullitate con-
stet. Quod probat ex decisionibus Rotæ, & alijs au-
toribus, & ex cap. Qua fronte, de Appellat. quod, mea
sententia, non multum probat, quia in illo est sermo
de interdicto personali, non de locali generali. Sed
in ea re vsus, & communem sententiam iuris pe-
ritorum seruandam censeo: existimo autem eos non
loqui de propria relaxatione ad cautelam, sed de ab-
soluta relaxatione, quæ tunc fieri debet ad instan-
tiam

De substantia-
li forma.Syluester.
Calder.De acciden-
tali forma.An in inter-
dicto locum
habeat abso-
lutio ad cau-
telam.
Couarr.
Nauarr.
Cap. Præsent
de Sent. ex-
comm. in 6.

Nauarr.

Responso.

tiam partis, sicut in similitudo, præstita cautione, absolutio etiam ab excommunicatione simpliciter danda est, iuxta cap. *Cum contingat*, de Offic. delegat. Aduerto tamen non satis esse, vt cautionem, vel satisfactionem offerant illi, qui fuerunt, veluti secundaria causa interdicti per auxilium, fauorem, vel aliquid huiusmodi: sed necessarium esse, vt principalis auctor hoc præstet: nam ad omnem relaxationem interdicti hoc requiritur, vt colligitur ex cap. *Alma*, & notatur Syluester *Interdictum*, 3. q. vlt.

Cap. Alma.

Abolutio ad cautelam habet locum in omni interdicto excepto generalis loci.

Conarr.

De aliis vero interdictis non inuenio in iure definitionem adeo expressam: ex dicto autem capit. *Præfens*, per argumentum ab speciali colligere licet, in omnibus aliis interdictis locum habere beneficium relaxationis ad cautelam. Non enim sine causa additum est ibi verbum illud, *Generaliter in ciuitates castros, &c.* positum ergo est ad excludendum interdictum particulare locale, vt Couarruias notat ex decisione Rotæ, & ex pluribus autoribus, qui de interdicto particulari loci loquuntur. Et ratio est, quia hoc beneficium communiter conceditur in quacumque censura: ergo, vbi specialiter non negatur, concessum manet. Quæ ratio equaliter procedit in interdicto personali particulari: de quo videtur clarius loqui Nauarrus: id tamen expresse tenet Syluester, *Interdictum*, 3. q. 9. & Angelus *Interdictum*, 8. n. 2. qui alios autores referunt. Et addunt congruentiam; quia hoc interdictum priuat receptione sacramentorum, in quo assimilatur excommunicationi; & ideo debet etiam in illo modo relaxationis assimilari. Et ad hoc confirmandum est optimum dict. cap. *Qua fronte*, præsertim in vericulo vltimo scilicet, *De his etiam, qui conueruntur se irrationabiliter excommunicatione, vel interdicto suppositos, illud idem dicimus*, (scilicet esse absoluentes) etiam istis, qui huiusmodi protulerunt sententiam (vtique tam interdicti quam excommunicationis) Ad Sedem Apostolicam duxerunt appellandum. Hoc ipsum confirmari potest ex cap. *Venerabili*, de Sentent. excommunic. vbi sententia suspensionis dicitur relaxari ad cautelam, quod tamen frequentius expedire potest in interdicto personali particulari.

Nauarr. Sylu. Angel.

Cap. Qua fronte.

Ca. Venerabili, de Sent. excomm.

Syluest. Angel. Nauarr. Couarr.

De interdicto autem generali personali dicti auctores nihil expresse dicunt; quin potius Syluester, Angelus, Nauarr. & Couarruias absolute dicunt, interdictum generale non posse hoc modo relaxari sine distinctione de personali, vel locali. Quia vero in dict. capit. *Præfens*, sermo est tantum de locali interdicto, dicendum est, ex vi illius textus non negari beneficium relaxationis ad cautelam in interdicto personali etiam generali: quia, cum denegatio huius beneficii fauorem non contineat: sed potius rigorem, ultra vim verborum extendenda non est. Quod si ex vi illius textus non negatur, non video cur neganda sit ex vi iuris, nisi forte praxis, & consuetudo aliud habeat: nam illa est optima legum interpretis, & interdum illas extendit propter paritatem rationis, quæ fortasse videbitur esse inter generale interdictum personale, & locale.

Interdictum post eius sententiam latam non suspenditur per appellat. l. onem. Cap. is cui. Cap. Ad hæc quoniam de Appellat. Omne interdictum potest suspendi ab illo qui illud tulit.

Vltimum dubium est, an interdictum suspendi possit. In quo nonnulla sunt certa. Vnum est, interdictum non suspendi per appellationem interpositam post latam interdicti sententiam. Ita enim expresse cauetur in cap. *Is cui*, de Sentent. excommunic. vbi in hoc interdictum excommunicationi equiparatur: vbi est sermo de suspensione ab ingressu Ecclesie, quæ, vt sæpe dixi, est interdictum quoddam: eadem autem ratio est de quolibet alio interdicto. In capit. autem *Ad hæc quoniam*, de Appellatio. absolute idem dicitur de quolibet interdicto. Secundo est certum interdictum generale, tam locale, quam personale, & interdictum etiam locale particulare suspendi posse ad tempus, vel simpliciter, vel quoad aliquem effectum, ab eo qui illud tulit. Ita docent communiter Canonistæ in dict. cap. *Ad hæc*.

Quos refert, & sequitur Couarruias in cap. *Alma*, *Conarr.* part. 2. §. 2. nu. 4. contra Abbatem, & Decium quos ibidem refert: quamquam Abbas fateatur hanc sententiam in praxi seruari posse. Eandem tenuit Nauarrus cap. 27. num. 165. vbi idem dicit de excommunicatione, in hanc sententiam allegat Decium. Tenet etiam Syluester, *Interdictum*, 3. q. 8. qui citat Innocentium, & Hostiensium. Idem Angelus, *Interdictum*, 8. num. 3. qui refert alios, & quædam iura, scilicet cap. *Ad hæc*, 3. & cap. *Directe*, & cap. *Præfens*, de Appellation. quæ nihil omnino ad rem præsentem faciunt. Melius id probatur ex capit. *Dilecti*, de Appellationibus ibi, *cuius effectum ad tempus duxerit suspendendum*: & significat Pontifex tam validam esse illam suspensionem, vt, si, durante tempore suspensionis appellatio interponatur ad Summum Pontificem, non possit vltimus iudex ad pristinum statum sententiam reuocare, ita vt effectum exequatur. Sed hæc quæstio à Panormitano, & aliis autoribus citatis late disputatur, qui varie textum illum exponunt, quæ ad nos nunc non pertinet. Fundamentum enim huius sententia non est, quia per aliquod ius hoc specialiter conceditur: sed quia nullo iure prohibetur: nam hoc ipso tota sententia, & effectus censuræ pendet ex voluntate ferentis: ergo sicut potest simpliciter eam auferre, ita potest ad tempus suspendere. Vnde non est efficax Panormitani argumentum, quia non minus est efficax appellatio interposita, quam voluntas ferentis. Si ergo appellatio non suspendit: nec iudex potest suspendere. Respondetur enim, supposito iure positivo, non esse ita efficacem appellationem, sicut voluntatem iudicis, quia de appellatione habemus expresse prohibitionem, non vero de iudice.

Sed aiunt, quamuis in voluntate iudicis sit ferre sententiam censuræ, tamen illa lata, non est in voluntate eius impedire executionem: ergo non potest illam suspendere, sed necesse est, vt vel illam reuocet, vel quod illa habeat effectum suum: quia sententia censuræ secum affert executionem cap. *Passoralis*, §. *Verum*, de Appellat. Respondetur, quamuis sententia censuræ in hoc sensu secum affert executionem, quod per se ipsa, absque alio medio instrumento, seu executore, efficax est ad inducendum suum effectum. Nihilominus in hac ipsa actuali executione pendet ex voluntate ferentis, & ideo per illam potest suspensio, quoad actuale effectum. Et propterea diximus, hanc suspensionem fieri posse ab eo, qui eam tulit, quia inferior hoc non potest, cum non habeat iurisdictionem, nec ab illo pendere effectus sententia, vel voluntatis superioris. Vnde inferunt Syluest. & alij, Episcopum non posse suspendere interdictum à Summo Pontifice positum: quod verum est de interdicto ab homine, vel reuocato: nam, si sit à iure Pontificio absque reservatione, videtur posse suspendi ab Episcopo ex legitima causa ex commissione illi facta eodem iure ad relaxandum tale interdictum, vt supra vidimus. Vnde hæc videtur generalis regula, eum posse suspendere interdictum, qui potest auferre, nam vtque actus ex eadem potestate nascitur.

Atque hæc omnia communia sunt tribus interdictis supra numeratis, respectu earum personarum, quæ sine culpa sua interdicto ligantur, vel ad illud seruandum obligantur: nam eadem est quoad hæc de omnibus ratio. Quoad eas vero personas, quæ causam interdicti dederunt, magis equiparantur hæc interdicta cum interdicto personali particulari, de quo est maior dubitatio, an possit suspendi, nisi per solum Summum Pontificem, nam ille, inquit, dispensare in hoc potest, cum sit iuris humani: imo addit, si adhuc duret culpa, pro qua latum est interdictum, non posse Pontificem dispensare quantum ad celebrationem: sed solum quoad alia.

Verius

Verius tamen est, etiam hoc interdictum posse suspendi ab eo, qui illud tulit. Quod à fortiori sentit Nauarr. cum idem de excommunicatione asserat, & expresse id docet Couarr. Et ratio est eadem, quæ de aliis interdictis, quia hoc nullo iure prohibetur, & alioqui veluti ex natura rei effectus sententiæ penderet ex voluntate ferentis. Quare nulla ad hoc requiritur iuris dispensatio, quæ Summo Pontifici referuata sit: quia hic non agimus de privilegio perpetuo celebrandi, aut participandi diuinâ tempore interdicti, quod Summus Pontifex solus concedere potest: sed de suspensione alicuius effectus, qui à voluntate ferentis penderet. Quocirca, non solum potest suspendi hoc interdictum postquam quis à contumacia repleuit, tunc enim potius tollendum est; sed etiam ea durare, quia sæpe possunt occurrere rationabiles causæ ad huiusmodi suspensionem faciendam, vt per se patet. Neque solum quoad alios effectus, sed etiam quoad celebrationem Missæ potest huiusmodi interdictum suspendi, non quia per hoc concedatur, vt sine peccato celebret qui est in peccato; sed solum vt talis suspensio efficiat, ne per Ecclesiam specialiter prohibitis, seu interdictis sit. Quo etiam fiet (quod Syluest. non aduertit) vt, licet fortasse peccet celebrando, non tamen irregularis fiat: quia pro tunc non agit contra censuram: Poterit etiam contingere, vt non peccet, si coram Deo sit bene dispositus, & ab iniquitate recessit, quamuis apud Ecclesiam nondum satisfacere poterit.

Hic vero se offerebat obiectio, quia hoc interdictum personale, & excommunicatio æquiparantur: sed excommunicatio non potest suspendi: ergo neque hoc interdictum. Ad quam Nauarrus respondet negando minorem. Sed quia opposita est communis sententia, & magis consentanea iuri, vt supra vidimus, negamus has censuras æquiparari in omnibus, & specialiter in hoc; quia iura significant id esse speciale in excommunicatione, c. Cum desideres, de Sent. excommunicationis, cum aliis: nam excommunicatio acerbior est poena, & quoad hanc partem magis odiosa & ideo volunt iura, vt vel omnino auferatur, vel omnino suum effectum habeat.

DISPUTATIO XXXIX.

De cessatione à diuinis.

INTER spirituales poenas, & inter alia remedia, quibus Ecclesia vti solet ad corripiendos filios inobedientes, & contumaces: vna est, quæ cessatio à diuinis appellatur, vt constat ex iuribus, quæ inferius referemus, & ex quotidiano vsu Ecclesiæ. Vnde non est quod disputemus, an hæc cessatio sit licita, vel expediens: vtrumque enim satis confirmat Ecclesiæ vsus. Et ad illud prius sufficit, quod non est contraria alicui præcepto diuino: nam, licet ex diuino iure sit, vt diuina officia in Ecclesia celebrentur, non tamen illud obligat, vt vbique, & semper fiat: & ideo aliquando, seu in aliquo loco cessare, nec est per se malum, neque extramateriam Ecclesiastici præcepti. Ad secundum autem, scilicet, vt hoc sit expediens, multa concurrere necesse est, quæ iudices Ecclesiastici prudenter obseruare debent, & in sequentibus explicabuntur. Hæc ergo cessatio.

Fr. Suarez tom. 5.

tio, si censura est, sub interdicto comprehenditur, ne numerus specierum censuræ augetur contra responsum Pontificis in cap. Querenti, de Verb. significat. Si vero non est censura, maximam habet cum interdicto affinitatem: & ideo disputatio hæc oprime huic loco accommodatur. Nam per se necessaria est huius poenæ cognitio ad res morales, & ad huius materiæ complementum, & per comparisonem ad interdictum facillime intelligitur. Et ideo Doctores, qui fere cum interdicto hanc poenam inuoluunt, pauca de illa dicunt, quos quidem imitabimur: curabimus autem distincte rem totam exponere. Et primo videbimus quid cessatio sit. Deinde, quos effectus, & causas habeat, & quomodo tollenda sit.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit cessatio à diuinis, & quomodo ab interdicto differat.

QUOD ad nomen attinet, constat cessationem à diuinis sic dictam esse, quia eo tempore quo hæc poena fertur, cessant ministri Ecclesiæ à publica celebratione diuinorum officiorum, & Sacramentorum administratione. Et ideo dici solet hæc cessatio suspensio quædam organorum Ecclesiasticorum per allusionem ad illud Psal. 136. In salicibus in medio eius; suspendimus organa nostra: quia hoc est veluti maximum signum afflictionis, quam Ecclesia patitur, quando omnia diuina officia ita suspendit, vt notauit Soto in 4. d. 22. qu. 3. artic. 2. Ex quibus constat, appellationem hanc ab effectu sumptam esse: nam illa cessatio effectus est huius poenæ: ipsa autem poena consistit in illo vinculo, quo astringuntur ministri Ecclesiæ, & obligantur ad cessandum à diuinis. Et de hoc vinculo præcipue inquirimus quid sit.

Ad hoc autem declarandum primo videndum est, an hoc vinculum, seu poena sit propria censura: nam autores in hoc varij sunt. Coua. in cap. Alma, p. 2. §. 2. in princ. eam vocat iuris Pontificij censuram; eodem fere modo loquitur Soto d. q. 3. art. 1. vbi quinque numerat censuras, quarum vna est cessatio à diuinis. Et videtur hoc efficaciter probari ex definitione censuræ in princ. huius operis posita: nam hæc cessatio est poena Ecclesiastica, & priuat spiritualibus functionibus, & ponitur propter contumaciam vt ab illa recedatur; atque ita etiam est medicinalis poena, quæ per ordinariam potestatem Ecclesiæ tollitur, sicut imponitur: ergo nihil illi deest ad veram rationem censuræ. Alij nihilominus negant hanc poenam esse censuram. Ita tenet Nauarrus in Summa cap. 27. num. 164. & 188. nullam autem aliam rationem affert, nisi quia cessatio non est, nisi ipsa omisio officiorum, iuxta Panormitanum in cap. Dilectus, de Appellationibus numer. 18. Quam rationem, & sensum propositionis assumptæ vix percipio: nam hæc poena, pro vt ab Ecclesia imponitur, non est ipsa actualis omisio diuinorum officiorum: potest enim aliquando Ecclesiasticus iudex iuste præscribere cessationem: & nihilominus ministros Ecclesiæ, de facto non omittere diuina officia, in quo grauius peccant, quod est signum, sententiam fuisse validam, & poenam re vera impositam: cum ergo omisio diuinorum de facto non sit subsecuta, non consistit hæc poena formaliter in ipsa omisione facta, sed